CORNELII GUILIELMI OPZOOMER

# ORATIO

DE

# PHILOSOPHIAE NATURA,

QUAM HABUIT

DIE XXVI M. MARTII A. MDCCCLII,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

AMSTELODAMI,
J. H. GEBHARD ET Soc.
MDCCCLII.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA GIEBEN ET DUMONT.

Academiae rheno-trajectinae curatores, viri amplissimi!

Qui curatoribus ab epistolis es, vir consultissime!

Disciplinarum professores, viri clarissimi!

Qui munerum aut honorum amplitudine estis conspicui, viri gravissimi!

Artium doctrinarumque doctores, viri doctissimi!

Sacrorum antistites, viri venerabiles!

Studiosae juventutis corona, hujus academiae cives, commilitones exoptatissimi!

Quotquot denique adestis, qui ad hanc solemnitatem confluxeritis, auditores humanissimi!

Fuerunt multi, qui in patria nostra nullum unquam philosophiae locum fore, magnopere aut questi sunt aut gavisi. Nec puto, illorum numerum nostris temporibus esse imminutum; imo fortasse auctus est. Apud Germanos, inquiunt, vernacula planta est; apud nos autem adventitia, quae in soli nostri sterilitate, in nostri aëris temperie florere vix potest. Ex ingenio nostratium philosophica systemata numquam prodeunt; a vicinis illa mutuamur, nec quod accepimus, quippe cum nostrum

non sit nec cohaereat cum opinionibus atque affectubus nostris, solida industria et diuturno amore colimus. Quae in Germania jam aliquot temporis viguerunt decreta, quae philosophi vocant δογματα, primum huc invecta multos, juvenes inprimis, alliciunt iisque novitatis gratia se commendant. It fama per urbes, — sed vires amittit eundo. Mox contemnitur quod quasi de coelo delapsum adorabatur; quod omnibus numinis instar erat mox, si forte hic illic quosdam retineat εἰδωλολατρυς, ridetur tamen a plerisque. Ferre nequeunt Batavi subtiles istas definitiones et distinctiones, impeditas de rebus humano intellectu longe superioribus quaestiones, disputationes, quarum vita civilis nullos unquam fructus perceptura est. Nec minus respuunt dicendi illud genus, horridum nunc et barbarum, nunc tumidum et calamistratum, quod philosophorum generis quasi proprium esse videtur. Omnes doctrinae, tum physicae tum morales, laudem suam et dignitatem apud nos tuentur; philosophiam vero exsulare jubemus.

Quid ego, jam ante hos sex annos ad ipsam hanc, tam aspere et inurbane exsulare jussam, philosophiam in Academia Batava docendam vocatus, talibus respondebo? Haud facile me adduci, ut ea, in quibus omne vitae tempus consumere placet, repugnare concedam nationis ingenio, cujus partem me sentio, cujus saluti quantum potero prospicere ante omnia mihi cordi est, nemini mirum erit. Et tamen fortasse a philosophiae vituperatoribus philosophus ipse haud tantopere dissentior re quam

verbis. Fieri potest, ut quod ab iis philosophia nominatur ego (dabitis enim profecto, ut in rebus inusitatis utar verbis interdum inauditis) ideologiam dicam, metaphysica vel dogmatismum, ita ut, diversis vocabulis eandem rem reprobantes, sic etiam eandem rem diversis vocabulis laudemus. De verbis autem cum illis disputare, ingratum foret. Sufficit mihi, si illud, quod apud me philosophia est, quidquid tandem eodem nomine ab aliis significatum sit aut significetur adhuc, non modo non esse ejiciendum, sed contra civitatis jure donandum, imo a nostratibus semper esse donatum, perspicuis argumentis demonstraverim. Ad paucissimos illos, qui philosophi appellatione ornati sunt, non provocabo; apparent enim rari nantes in gurgite vasto; nec quod unus alter hic coluit vernaculum idcirco dici meretur. De SPINOSA ne verbum quidem, quasi ille ostendat, philosophiam Batavorum quam maxime esse propriam, et ab iis demum in Germaniam migrasse. Est enim unus ille in paucis; et ipsi judicetis, num hac in tanta re unus totius populi causam dicere possit. Et ea ipsius ratio ac disciplina est, ut, si a gente nostra alienam esse eam confitear, ipsam tamen philosophiam ex civitate haud expulerim. Exemplis rem meam non confirmabo; certiora sunt, quibus me defendam. De nostratium indole nihil attinet disserere; qualis sit, cuique vestrum non ex argumentatione, sed ex intimo pectoris sensu et perenni vitae cum aliis consuetudine notissimum est. Hoc unum cogito, non gentis nostrae, sed philosophiae naturam

vobis delineare, de mutata ejus conditione dilucide et brevissime dicens. Vestrum erit judicare, an hujusmodi doctrina, qualem depingam, in Hollandia colenda sit an vero repudianda. Me autem, hanc pro domo causam agentem, benevole audiatis, vestraque indulgentia ignoscatis quae viribus meis deësse mihi conscius sum.

---

Ab antiquis inde temporibus omnes, qui res sensibus obnoxias dividere conati sunt, distinxerunt inter eas, quae sensu utuntur, et eas, quae sensus expertes sunt, de nonnullis dubitantes, utrum ad hanc classem illamve referendae sint. Ab ipso homine initium, de quo ambigi non potuit, ita quidem, ut quid sensum intelligamus definire non opus sit. Dilucidius enim nihil excogitari potest, ita ut alia omnia potius explicet ipse, quam per alia explicandus sit, quapropter multi in eo solo putant veri esse judicium. Caeterae res, animalia, plantae, cum homine comparantur, in quibus si eadem iisve simillima inveniuntur, quorum origo in nobis sensus est, ex eadem consecutione eandem causam colligimus.

Quidquid est quod sensum habeat, id necesse est sentiat et voluptatem et dolorem. Omnia igitur animantia, quum nunc in meliore causa sint, nunc deteriore statu, discrimen illud sentiunt et profitentur. Voluptatis verbo duae res subjiciuntur, laetitia in animo, commotio suavis jucunditatis et gaudium in corpore. De dolore idem valet. Voluptuariam conditionem laetitia sequitur, aegritudo molestam.

Omne animal, simulatque natum sit, ipsum sibi conciliatur et commendatur ad se conservandum, et ad suum statum, eaque, quae conservantia sunt ejus status, diligenda; alienatur autem ab interitu iisque rebus, quae interitum videantur afferre; id agit, ut ita sit affectum, ut optime secundum naturam affectum esse possit. Voluptatem igitur appetit eaque gaudet ut summo bono; dolorem aspernatur ut summum malum, et, quantum possit, a se repellit. Voluptatem expetendam, fugiendum dolorem sentit, ut calere ignem, nivem esse albam, dulce mel, quorum nihil oportet exquisitis rationibus confirmare. Jucundum motum, quo sensus hilaretur, praefert dolori. Sensum habet sui, eoque se et sua diligit. Summa igitur vi atque contentione id agit, ut se, vitam corpusque tueatur, ut pastum, latibula, verbo ut omnia, quae sunt ad vivendum necessaria et dulcem motum afferunt sensibus, anquirat et paret. Quae nocitura videantur declinat, ut in eam veniat conditionem, in qua laetitia gestiat nec ullo dolore excrucietur.

Maxime autem inter se differunt vires, quibus diversa animalium genera praedita sunt, ita ut, licet ad summam felicitatem ac jucunditatem nullum perveniat, alia tamen propius accedant, alia longissimo semper intervallo distent. Maximis in terris viribus homo gaudet; humanum genus validissimum. Vescimur enim, inquit Tullius, bestiis et terrenis et aquatilibus et volatilibus; efficimus etiam domitu nostro quadrupedum vectiones, quorum celeritas atque vis nobis ipsis affert vim et celeritatem.

Nos onera quibusdam bestiis, nos juga imponimus; nos elephantorum acutissimis sensibus, nos sagacitate canum ad utilitatem nostram abutimur; nos e terrae cavernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros necessariam; nos aeris, argenti, auri venas penitus abditas invenimus, et ad usum aptas et ad ornatum decoras; arborum autem consectione omnique materia et culta et silvestri partim ad calefaciendum corpus, igni adhibito, et ad mitigandum cibum utimur, partim ad aedificandum, ut tectis saepti frigora caloresque pellamus. Quas res violentissimas natura genuit, earum moderationem nos soli habemus, maris atque ventorum, plurimisque maritimis rebus fruimur atque utimur. Terrenorum item commodorum omnis est in homine dominatus. Nos campis, nos montibus fruimur; nostri sunt amnes, nostri lacus; nos fruges serimus, nos arbores; nos aquarum inductionibus terris fecunditatem damus; nos flumina arcemus, dirigimus, avertimus; nostris denique manibus in rerum natura quasi alteram naturam efficimus. Est hujus roboris et dominatus causa in intellectu. Homines enim, etsi aliis multis, in hoc uno a bestiis plurimum differunt, quod rationem habeant a natura datam, mentemque et acrem et vigentem, quae et causas rerum et consecutiones videat, et similitudines transferat, et disjuncta conjungat, et cum praesentibus futura copulet. Qua quo magis omnibus antecedunt, eo magis viribus quoque praestant. Majorem naturae partem idcirco imperio regere possunt, quia majorem habent naturae cognitionem. Scientiae finibus pro-

latis ditionis etiam fines proferuntur. Nihil nobis subjicere, nihil ad nostrum arbitrium movere et moderari possumus, nisi ipsius indolem perspexerimus, causas a quibus proficiscitur, naturae leges quibus regitur, utilitatem quam potest afferre. Nostras leges naturae non constituimus, nisi ipsius legibus cognitis et observatis.

Nec alia est scientiae origo, cujus omnis summa ad beate vivendum relata est, idque unum expetentes homines se ad haec naturae studia contulerunt. Initio enim non veri amore, sed sui ipsius amore unusquisque impulsus, id unum egit, ut suis rebus consuleret, et maxima quadam jucunditate perfunderetur. Mox autem alia nata est rerum conditio, et nos quidem cognitionem rerum aut occultarum aut admirabilium ad beate vivendum necessariam ducimus, eamque propter se adsciscendam arbitramur, quod habeat quiddam in se quasi complexum et continens veritatem. Quam enim utilitatem aut quem fructum petentes, scire cupimus, illa, quae occulta nobis sunt, quomodo moveantur, quibusque de causis ea versentur in coelo? Quis autem tam agrestibus institutis vivit aut quis contra studia naturae tam vehementer obduruit, ut a rebus cognitione dignis abhorreat, easque sine voluptate aut utilitate aliqua non requirat et pro nihilo putet? In ipsis igitur rebus, quae discuntur et cognoscuntur, invitamenta insunt, quibus ad discendum cognoscendumque moveamur. Quod maximas inter progressuum causas fuisse, nullus infitiabitur. Disjuncta enim studiorum membra tum demum conjunguntur, doctrina-

rumque sors, ut ita dicam, nascitur, quum non utilitatis causa, quam ex iis speramus, sed propter ipsam, qua nitent, praestantiam eas colere coepimus. Et ne quis putet, solivagam fore et jejunam hanc rerum cognitionem, nec fructus, ad quos non attendere videmur, esse laturam; bonam enim feret frugem, et uberiores percipiemus fructus, ut illi ipsi, qui doctrinae studiis et sapientiae dediti sunt, ad hominum utilitatem suam prudentiam intelligentiamque potissimum conferant.

Videtis igitur A. A., si fines imperii proferre ac diversas naturae provincias nostrae ditioni subjicere velimus, necesse esse, ut disjecta cognitionis membra colligentur et in disciplinarum formam redigantur. Est vero et aliud studiorum praesidium, non in conjungendo, sed contra in dividendo positum. Operarum dico partitionem, eo magis necessariam, quo latior pateat doctrinarum campus. Officia inter se diviserunt homines, et suis quemque implicitum videmus negotiis. Hic enim non nisi ad ea attendit, quae mari caelove fiunt; plantarum ille formas et vicissitudines perscrutatur. Alius id unum in rebus corporeis curat, quod spatium occupant, suaeque disciplinae splendidum *μαθήσεως* nomen imponit, quid de caeteris existimet ipsa hac *μετωνυμίᾳ* demonstrans. Alius in animalia inquirit, negligit reliqua; ut verbo dicam, unusquisque immensae illius doctrinarum areae unam sibi quam colat partem eligit. Eadem in disciplinis consecutio, quae in artibus quaestuosis et illiberalibus. Tantos enim per operarum dis-

tributionem effecimus processus, ut vix credibiles videantur, quae si facta non esset, *φυσιολογιας* conditio non dubito quin nostra aetate eadem esset atque Graecorum, imo multo adhuc deterior.

Ita autem res humanae se habent, ut commoda sua semper incommoda sequantur. Universum genus humanum quotidie fere progreditur; singulos homines saepius retro ire nemo negabit. Sordidarum artium sequimur exemplum. Idem operariorum numerus in uno die, negotiis distributis, plura fabricatur, quam per anni spatium antea conficere potuit; singuli vero operarii, in sua quisque arte excellentes, caeterarum artium, ni medicina adhibeatur, adeo rudes sunt, ut cultiorum virorum nomine vix digni videantur. Doctorum virorum eadem paene conditio, ut summo jure contendi potuerit, apud antiquos quidem qui eruditionis laudem quaerebant omnes ad humanitatem pertinentes artes atque doctrinas mente sua complexos esse nec ullam intellectus facultatem neglexisse; nos autem ingenii quasdam tantum vires, paucissimas saepe, ad maturitatem perducere. Quid enim effecit operarum illa partitio? Eruditorum hominum maxima pars, in una disciplinarum provincia omnibus rebus praecellens, reliquas omnes aut parvi facit, aut, si magnis eas efferat laudibus, non ita tamen colit, ut paulum aliquid ultra primas litteras progressa sit. In moralibus praesertim doctrinis ingenii istae cernuntur angustiae. Physicarum enim disciplinarum qui uni alteri se dedit reliquas etiam quodammodo cum ea

conjungere earumque aliquam sibi comparare solet notitiam. Moralium autem qui hanc illamve perscrutatur, caeterarum admodum vulgo rudis et inscius est. Quod quo magis appareat, quid morales disciplinas intelligam, et originem unde ducant, explicandum est.

Nihil habet dubitationis, quin homines plurimum hominibus et prosint et obsint, nec ulla tam detestabilis pestis est, quae non homini ab homine nascatur. Est igitur hoc maxime necessarium, non tantum naturam, sed homines etiam nobis subjicere et ad usus nostros adjungere, ut eorum studiis ea, quae natura desiderat, expleta cumulataque habeamus, per eosdemque, si quid importetur nobis incommodi, propulsemus ulciscamurque eos, qui nocere nobis conati sunt. Quod ut facere possimus, eorum indolem noscere debemus, animi affectiones et cupiditates quibus movetur, leges denique, id est constantem et perpetuum ordinem, qui in vehementissimo etiam animi impetu observatur. Nec in singulis hominibus consistere possumus; inprimis attendendum ad eorum congregationem, ad humanam et civilem quae dicitur societatem. Unusquisque omni ope atque opera eniteretur, ut alios omnes sibi soli, suae causae suoque emolumento subjiceret, nisi duae res essent, quibus improbum illud privatae utilitatis studium coërcetur. Nihil enim appetentius similium sui, nihil rapacius, quam natura, nec quidquam est, quod ad se rem ullam tam alliciat et tam attrahat, quam ad amicitiam similitudo. Ipsa natura, praescribens, ut homo

homini, quicumque sit, ob eam ipsam causam, quod is homo sit, consultum velit, vi rationis eos conciliat et ad orationis et ad vitae societatem; impellitque, ut hominum coetus et celebrationes et esse et a se obiri velint ob easque causas studeant parare ea, quae suppeditent et ad cultum et ad victum, nec sibi solis, sed aliis quos caros habeant tuerique debeant. Sic ipsi inter se aliis alii prodesse student; in hoc naturam ducem secuti, communes utilitates in medium afferentes mutatione officiorum, dando accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincientes omnium inter omnes societatem. Natura solitarium nihil amat, semperque ad aliquod tamquam adminiculum annititur, ex quo efficimus, hominem naturae obedientem homini nocere non posse. Quid enim interest, motu animi sublato, non dico inter hominem et pecudem, sed inter hominem et saxum aut truncum aut quidvis generis ejusdem? At praeter hanc nobis ingenitam caritatis societatem alia etiam medicina est, quam homoeöpathicam dicere mihi liceat. Sibi enim soli prospicere eo quisque impeditur, quod caeteri quoque homines sibi singuli consulunt, quibus, si conjunctis viribus utuntur, unus homo, etiamsi validissimus sit, multo est infirmior. Multorum enim odiis nullae opes possunt obsistere. Non dëerunt unquam, hoc me non fugit, qui aliorum spoliis suas facultates, copias, opes augeant, quaeque ipsi non tribuunt aliis, haec ab aliis desiderent; sed animadverto etiam, horrendos hujus studii eventus, quantum hu-

mana valet imbecillitas, iisdem reliquorum omnium studiis averti.

Gradus autem plures sunt societatis hominum. Ut enim ab illa infinita omnium inter omnes discedatur, propior est ejusdem gentis, nationis, linguae. In qua ut multum valeamus et communi utilitati servire possimus, necessariam esse ipsius cognitionem, accuratam rerum, ex quibus non tantum conflatur et efficitur, sed in quibus etiam posita est, notitiam, ex iis, quae disputavimus, cuique patebit.

Nova igitur disciplinarum series oritur, quae quum ad hominem, animum dico (physiologia enim quae nunc dicitur physicis annumerata est), pertineant, moralium nomine recte significari solent.

Facta est eadem in illis tum conjunctio tum distributio, quam in physicis quasi digito vobis monstravi. Nec alia fuit consecutio. Idem universi generis humani progressus; eaedem in singulis hominibus ingenii angustiae. Theologorum enim maximam partem in juris disciplina omnium rerum videmus ignaram; jureconsultis ne nomina quidem cognita sunt summorum virorum, qui religionis causam tuiti sunt eamque a sordibus humanis purgaverunt. Qui privato juri operam dant publicum jus, gentium historiam, reipublicae constituendae et tuendae rationem negligunt; qui in rerum publicarum varietate versantur juris principia vix curant. Artium ingenuarum et elegantium natura atque historia paucissimis cordi est; a plerisque contemnitur, in gravioribus studiis, ut jactant, occupatis.

Est igitur in aperto, A. A., operarum partitionem doctrinarum progressui adeo necessariam esse, ut eam negligere et ad antiquissimam conditionem redire nequeamus; una autem tantorum incommodorum causam fuisse, ut anxie quaeramus, num aliquid reperiatur, quod damna arceat, commoda tueatur. Nec frustra quaerimus; summus enim omnium rerum gubernator, humano generi prospiciens, plerosque arctissimis unius disciplinae finibus circumscribens, paucis quibusdam majora largitus est, eosque in summo posuit montis jugo, unde omnia ejus latera atque omnem ei subjectam vallem oculis terminare possint. Plurimas scilicet easque maxime diversas disciplinas mente sua complectuntur, et ita complectuntur, ut earum rationem et vinculum, quo colligantur, penitus perspiciant. Nec enim multiplicis variaeque doctrinae jactatores sunt; hoc ipsorum proprium est, omnes illas disciplinas ad artis perpetuis praeceptis ordinatae modum revocare, ut eam in toto mundo ubique intelligant continuationem seriemque rerum, qua alia ex alia nexa, et omnes inter se aptae colligataeque videntur. Exemplo rem confirmare liceat. Si quis adeo eruditus est, ut quid humanum genus primum in religione, tum in civili ratione, deinde in litteris, tandem in artibus, sive honestis, sive sordidis, profecerit, accurate possit explicare, non is sum, qui in eo spem salutis ponam. Sin autem plurium disciplinarum variarumque eruditionum ornamento acerrimum junxerit et subtilissimum judicium, ut tantae molis capax sit,

et religionem, rationem civilem, litteras, artes denique liberales et quaestuosas, arctissimo inter se vinculo cohaerere sibi persuasum habeat: sin ubique in rerum consecutione easdem observatas viderit leges, eandem normam, etiamsi distinctis progrediantur viis et ad diversos fines homines tendant, tum sine dubio is est, qui nobis succurrere et ex angustiis singularum doctrinarum nos eripere possit.

In iis, quae de rerum natura disputantur, plures jam conati sunt, diversas eorum partes in corpus redigere, et in omnibus naturae provinciis certum et immutabilem ordinem, inviolabiles leges et continuum ab uno gradu ad alterum progressum monstrare. Alii ab imis inde, quae in terris existunt, corporibus usque ad hominem, vita ac ratione praeditum, unum esse nulla re interruptum tenorem, in quo nihil omnino desideratur, perspicuis ostenderunt argumentis. Alii in ipsarum terrarum mutationibus sive *μεταμορφωσεων* serie eundem observatum vident ordinem, quem in incolarum mutationibus perspiciunt. Alii denique, et sensibus et animo totum hunc *κοσμον* percipientes atque comprehendentes, eandem ubique fabulam agi, cujus nec primus actus nec extremus a poeta neglectus est, omniaque rerum genera, quibus plurimae occupantur disciplinae, iisdem legibus subjecta esse docent. Est horum, ni fallor, ingenio tribuendum, non partes naturae, sed ipsam nobis cognitam esse naturam.

Nec in moralibus disciplinis desunt, qui operam dant,

ut eas colligent atque artificio et via tradant. Litterarum enim historiam conjungi et componi videmus cum artium, *φυσιολογιας*, juris, civilis rationis, ipsius religionis historia. Publicarum etiam rerum vicissitudines, quarum cognitio ab aliarum omnium rerum cognitione separari solebat, ad opiniones et sententias hominum, qui aliquam in iis sustinuerunt personam, relatae sunt. Maximos etiam populorum motus ac tumultus, rerumque publicarum commutationes ita cohaerere cum iis motibus atque conversionibus, quibus philosophia et religio fuerunt subjectae, ut ab iis divelli nequeant, dilucide jam demonstratum est. *Οὐδαμυ γαρ κινυνται μυσικης τροποι ἀνευ πολιτικων νομων των μεγιστων, ὡς φησι τε Δαμων και ἐγω πειθομαι.*

At videte, A. A., quo tandem, tardo pede progressi, pervenerimus. Ipsa haec disciplinarum colligatio, cujus finis est, ut omnes aliquando in unius disciplinae formam redigantur, philosophia est, et philosophus is solus dici meretur, qui ad hunc finem tendit, et eadem ratione plures doctrinas inter se conjungit, qua in ipsis singulis doctrinis diversae conjunguntur sententiae. Ad summum igitur philosophiae gradum nemo accedit, nisi qui omnes omnino disciplinas, cunctas humanae scientiae partes, arte concludere, in omnibus mundi provinciis, sive ad corpus pertineant sive ad animum, eundem ordinem, easdem leges observatas esse demonstrare possit. Quis autem est, cui hanc Corinthum adire contigit? Quis omnem rerum universitatem tam accurate novit,

ut in nulla re peregrinus sit atque hospes? Quis rerum physicarum ac moralium aeque peritum se profiteri potest? Paucissimi sane adeo beate vivunt. Apud hos solos summa invenitur philosophia, ad quam quo propius accedimus, eo digniores sumus philosophi appellatione.

Philosophicae inquisitiones ac disceptationes, si talis earum indoles est qualem delineavi, nullum certe habent in cultu horrorem. Allicient potius quam deterrebunt eruditos, qui in una altera doctrinarum parte excellunt. Quodsi, ad ea attenti, quae philosophiam simulare solent, hostilia adversas eam induunt, eamque contumeliis insectantur, injuriae criminis rei vix videntur. Naturalis quae dicebatur philosophia, in ipso hoc saeculo omnium fere sermone celebrata, imo janua dicta, qua effracta et revulsa tota pateret natura, hodie inutilis habetur contemplatio, quae philosophis forte in deliciis esse potest, physicis autem admodum vana est et sterilis. Etenim si, ut ab ipso SCHELLINGIO dictum reperimus, illius est, ad hanc respondere quaestionem, num omnino consistere possit natura, nullam sine dubio utilitatem physico afferet, qui ad *φαινομενα* tantum attendit, parum curans, utrum in mente sola, an etiam extra cogitationes existant. Verum ab inani hac disciplina, abstrusis occupata quaestionibus, verbis utenti aeque abstrusis, philosophiae honorem abjudico. Mihi philosophia naturalis, quam apud eos ne quaeratis, qui ipsius auctores atque principes dicti sunt, ea doctrina est, quae ostendit, totam naturam opus esse summa arte

perfectum, cujus diversae partes efficiunt, ut totius artificii vis atque splendor augeatur, aut, si quis malit hoc simili uti, imperium, cujus diversae regiones arctissime cohaerent eademque prima lege reguntur. Haec tanta luce res corporeas perfundit, haec tantopere exacuit ingenii aciem, ut totam naturam mentis oculis terminare et vinculum perspicere possimus, quo remotissimae res colligantur. Nec hujusmodi disciplinae momentum et auctoritatem ab ullo umquam physico, cujusvis naturae partis ipse contineatur finibus, parvi factum iri, audacter contendo. At procul ab ea absint qui in ipsa astronomia, chemia, physiologia, parum admodum profecerint, et paucis quibusdam animo anteceptis rerum informationibus contenti, *ἐμπειρίαν* contemtui habeant. Nemo ad eam accedat, nisi qui *ἐμπειρικὰς* disciplinas quam accuratissime fieri potest cognoverit, et, in ipsarum omnium quasi centro positus, levi opera ad quamvis orbis partem se movere possit. Est mihi in hac philosophiae parte HUMBOLDTIUS, ne aliorum nomina recitem, dux atque auspex. Ipsius audiatis verba, quibus suam rationem ac disciplinam eleganter exposuit.

Hoc, inquit, licet enim in Latinum illa convertere, hoc cogito, rerum universitatem vere universitatem, corpus, intelligere; in singulis rerum formis easdem percipere conditiones, easdem naturae leges; et ab ipsis his legibus ad causarum nexum adscendere. Incipit hoc mundi seu naturae ordinis intelligendi studium ab iis conditionibus, quibus physicae mutationes ubivis juris

2*

quasi aequabilitate subjectae sunt; ducit ad eorum, quae videmus, perceptionem atque intelligentiam, minime vero ad illam naturae contemplationem, quae ab una proficiscitur cogitatione, neque ad eam unitatis rationem, quae ab ἐμπειρίᾳ divulsa est. Ab ea enim longo intervallo distamus aetate, qua fieri posse confidebatur, ut omnia, quae sensibus et animo percipiuntur, ad absolutum quemdam naturae conceptum referantur. Physica illa, quam persequor, *κοσμογραφια* non eam simulat de rerum natura doctrinam, quae sola nitatur ratione; est potius eorum, quae videntur et ἐμπειρίᾳ duce cognoscuntur, complectio vel, si hoc verbum aut minus placet aut minus intelligitur, *καταληψις*. Unitatis ratio, ad quam *κοσμογραφια* mea reducenda est, non nisi ea est, quam in rerum gestarum narratione, in historia, appetimus. Omnia quae fiunt, sive in eorum serie, quae aut ipsa rerum natura gignit aut hominum virtute in ea efficiuntur, sive in gentium fatis, verbo omnia, quae casui et vicissitudini obnoxia sunt, e philosophicis notionibus duci ac describi nequeunt. *Κοσμογραφια* et perpetua rerum gestarum historia aeque ad ἐμπειριαν pertinent; utriusque autem meditatio atque complectio, arguta rerum descriptio et digestio, tum a natura tum a gentibus gestarum, fidem nobis faciunt, omnia aeterna disponi necessitate, quae omnes tum corporum tum animorum vires regit, quaeque ipsa natura habenda est in utraque ipsius parte, et rerum corporearum, et eorum, quae ab omni mortali concre-

tione segregata sunt. Ea inde nascitur perceptionis simplicitas atque perspicuitas, ea naturae legum cognitio, quae in ἐμπειρικαις disciplinis ultimus videtur humanarum indagationum finis.

Quod valet de philosophia naturali idem etiam de ea valeat necesse est, quae ad animum, ad officia, ad civitatem refertur. Cujus diversas partes ne oratione persequar, quum summas rerum tantum attingere longius foret, de una juris philosophia sive naturali jure dicendum videtur. Antea ἀδυτων instar in juris sacrario sanctissime eam cultam fuisse constat. Ad haec occulta ac recondita templi, quo vulgares Jureconsultos adire fas non erat, maximo tantum doctrinarum pontifici, philosopho nimirum, aditus patebat. Multa cum veneratione eum omnes prosequebantur, qui divinum ibi ac aeternum jus suis ipse oculis intuebatur, suisque auribus sancta audiebat juris oracula, nullis interrupta civilis juris fortuitis et arbitrariis praeceptis. At quantum mutata est rerum conditio! Hiccine est ille TELAMO, modo quem gloria ad coelum extulit? Quem adspectabant? Cujus ob os Graji ora obvertebant sua? Jureconsulti eum admirari ejusque effatis et κυριαις δοξαις audientes esse desierunt, nec amplius sanctos recessus philosopho invident. Cui enim bono aeternum illud jus, quo nullo umquam tempore uti poterunt? Nec facile adducuntur ad credendum, illum, qui ne προναον quidem civilis juris adierit, ad intimos divini ac naturalis juris recessus penetrasse. Equidem

sane non miror, maxima eos prosequi inimicitia simulatam hanc philosophiam, quae, a veris civitatium juribus mentem avertens, ad illud jus attendit, quod numquam usu recipiendum sit. At alia omnia sectatur juris philosophia, qualem animo meo concepi. Quicumque ei se dederit a jure civili, patrio inprimis, initium faciat, ac tunc demum, quum jureconsulti nomen sine ulla arrogantia sibi vindicare poterit, ad altiora tendat eaque conjungere studeat, quae in ipsa jurisprudentia disjuncta viderit. Tunc demum quaerat, quid tandem in homine et in civili reperiatur societate, unde juris atque injuriae notio ortum habeat, et qua ratione haec ἰδέα magis magisque se explicuerit et ad nostri juris maturitatem perducta sit; tunc demum ad perfectiorem illam juris speciem omnes in animo suo informatas notiones, maximam sine dubio partem e sua aetate suaque gente petitas, digerat et disponat. Hoc enim juris philosophiae proprium est, disjunctas juris partes colligare; rationem ostendere inter privatum jus et publicum; locum indicare, qui a jure criminali quod nunc dicitur occupatur; explorare vim poenarum et vinculum, quod inter eas et juris injuriaeque notionem intercedit; in earum principia et finem inquirere. Hanc autem disciplinam omnibus jureconsultis, qui majorem quam legulei dignitatem appetunt, et in ipsarum, quibus jus definitur, legum constitutionem vim habere cupiunt, summe necessariam esse, nullus dubitabit. Haec scilicet efficit, ut in legibus emendandis certo gradu incedere possit

populus; nec enim perfectam illam et omnibus numeris absolutam juris speciem ante oculos ponit, cujus nulla umquam gens capax erit; explicat potius, a quibus initiis suae aetatis suaeque gentis homines profecti, quo pervenerint, quae, nisi me omnia fallunt, una via est, qua ad eam juris descriptionem progredi possit humanum genus, quae omnium commodis, omnium saluti optime serviat.

Haec duo exempla sufficere videntur, ut et philosophum et eos, qui ad singularum disciplinarum studia animum referunt, in iisdem rebus elaborare, perspicue demonstratum sit. Numquam ita inter se convenerunt eamve fecerunt partitionem, ut omnia, quae in hoc mundo exstant, horum ingenio assignarentur, alius autem quidam mundus, qui tantummodo ad cogitationem valeat, illi, philosopho nimirum, mandaretur. Jam satis diu philosophia veras res effugit, ut in sublimiores fictarum rerum regiones adscenderet, e quibus nullos vita civilis fructus percipere potuerit. Non is sum, qui ab hujusmodi philosophis plurimos errores ac praejudicatas opiniones eversas esse negem, verum hoc etiam contendo, omnem eam utilitatem, quam maximi sane facio, non ex sterili ipsorum philosophia, verum ex critica, qua simul inclyti fuerunt, arte petitam esse. Qui multum in rebus externis valere cupit ab eo incipiat, ut earum conditionem, ut mundum hunc *αἰσθητον* penitus cognoscat et omnia, quibus uti possit, explorata habeat. Is enim optimus erit philosophus, qui plurimas disci-

plinas accurate tenet iisque ingenii dotibus excellit, quae in disjunctis atque dispersis colligandis cernuntur. Qui omnes doctrinas mente sua complecti nequit aliquas ex iis eligat, quae arctius inter se cohaerent, seu physicas igitur seu morales. Hoc autem unusquisque cogitet, eum, qui philosophi partes agere velit sine perfecta completaque, quantum humanae vires valeant, diversarum disciplinarum notitia, praestigiatorem esse, qui primum se ipse, tum alios etiam decipere conatur. Et ne quis putet, extinctam esse eorum gentem, inanem quam tenuerunt regiam. Illi quidem, qui in naturalis philosophiae studio florere dicebantur, tenui nostris temporibus auctoritate sunt. Nec illi laudibus efferuntur, qui simulatae isti juris philosophiae operam dant. Verum novi exstiterunt homines, qui, tum historiae tum publici juris admodum imperiti, de civitate tamen optimaque ejus forma philosophantur, et singularem, ut prae se ferunt, quandam summae perfectionis speciem animo et mente informantes, omnia ad ipsius effigiem disponere et digerere student, nulla neque temporum neque conditionum ratione habita. Negligunt enim sublimes isti nugatores, hanc quoque disciplinam, quae ad civilem rationem pertinet, ita ab ἐμπειρίᾳ pendere, ut, quod a BACONE minus quidem latine, sed recte tamen dictum reperimus, »circa subjectum versetur, quod caeterorum omnium maxime est materiae immersum, ideoque difficillime ad axiomata reducitur."

Si vera sunt, A. A., quae disputavimus, quid de phi-

losophorum oratione et vocabulis judicandum sit, quibus utuntur quasi privatis ac suis, facile ex iis colligitur. Post KANTIUM imprimis adeo horridum et barbarum fuit eorum dicendi genus, ut ad ea, quae litteris mandaverint, plerisque etiam doctioribus viris aditus vix pateat. Errant autem, qui ad hunc sermonem alligatos eos censeant. Qui in iisdem rebus versantur, in quibus caeterae disciplinae occupatae sunt, non est, quod aliis utantur verbis. Nec enim, quum eorum orationem ad commune judicium popularemque intelligentiam accommodandam esse dico, illud cogito, necesse esse, ut indoctis scribant et ab omnibus intelligantur, verum hoc unum, ut eam tantummodo animi attentionem exigant, quae jure ab omnibus postulatur, qui cogitationes suas ordine disponere solent.

Audivistis igitur, quid philosophiam intelligam quaeque sit ipsius oratio. Vix opus est, ut multa addam. Causa vicisse jam videor, etiamsi perorare recusem. Hoc scilicet mihi persuasum est, vestro omnium judicio hanc disciplinam, cujus origines vobis monstravi, non improbari, verum summis ornari laudibus. Hanc sine dubio non ad Germanos rejiciendam esse censetis; ex injusto exsilio in patriam hanc revocatis, atque omni postliminii jure donatis, in parem juris libertatisque conditionem cum reliquis humanae scientiae partibus eam recipientes. Quid enim? Hoccine Batavorum proprium sit, singulas quidem doctrinas summo animi ardore excolere, earum vero conjunctionem omni studio arcere? Num astronomia, φυσιολογια, chemia, botanice, mathesis etiam, in

Hollandia florebunt; philosophia autem, quae per totam naturam easdem leges observari, intimoque vinculo omnes ipsius partes cohaerere ostendit, turpiter neglecta jacebit? Quid? humanitatis studia, in quibus majores nostri excelluerunt, locum suum et decus apud nos tuebuntur? Theologia, jurisprudentia, reipublicae gerendae ratio et prudentia, sempiternae gloriae Batavos commendare pergent; philosophia autem, quae in religione, in jure, in civili ratione, in litteris etiam, idem nostrae gentis ingenium reperiri docet, contemnetur omnique afficietur ignominia? Nemini vestrum hujusmodi quid in mentem venire potuit. Si philosophiam vituperare ausi fuistis, eam intellexistis, quae a veris rebus ad ἰδέας evolare conatur, nec ducem sequitur ἐμπειρίαν. Ad hanc autem, quam vobis delineavi, non attendistis; haec, simulac formam ipsius et tamquam faciem videtis, mirabiles in animo vestro amores excitat. Nec enim quidquam aliud est praeter studium sapientiae; sapientia autem, ut a veteribus philosophis definitum est, rerum divinarum et humanarum causarumque, quibus eae continentur, scientia. Nulla pars ejus inculta ac deserta est; omnia ejus praecepta ad vitam referuntur; frugifera tota et fructuosa, cui qui pareat omne tempus aetatis sine molestia possit degere. Pergant igitur homines nostri in eam incumbere; pergite juvenes! philosophiae operam dare; fructus percipietis ubertimos; rudem enim et indigestam disciplinarum molem ita in corpus redactam videbitis, ut in omnibus, quae in

universo hoc mundo exstant, unius primae legis imperio subjectis, unius etiam mundi genitoris vestigia appareant.

---

Academiae historia paucis exponenda est; copiose enim de ea dicere haud placet. Nemini vestrum gratum fore arbitror, si singula consectar et colligam, quae ex museis nostris caeterisque ejusmodi studiorum praesidiis elata quaeque in ea invecta sunt. Hoc etiam anno, ut antea, doctrinarum explicationi servierunt; fuerunt autem sine insigni accessione. De bibliotheca tantum plura dicenda videntur; majora enim habuit incrementa, quibus apparuit, illam erga patrias academias liberalitatem, qua majores nostri cernebantur, imminutam quidem nec tamen prorsus extinctam esse. Accepimus enim ab amplissimo viro, cujus nomen publice referri vetuit ejus modestia, omnium fere, quae ad fabulas Plautinas spectant, librorum corpus, ita ut in hac litterarum parte paucissima sine dubio hic desint. Ostendit iterum acceptissimo hoc munere venerabilis ille hujus academiae alumnus, quanti faciat Musarum sedem, cui ipse plurima accepta refert. Utinam omnes fructuum, in academiis perceptorum, adeo essent memores et eandem gratiam redderent. Lubens enim confiteor, studiorum praesidia, cum ex publico aerario vix sustententur, privatorum hominum dona, ut vitam agere pergant vere vitalem, admodum desiderare. Quod ab aliis etiam perspectum esse gaudeo, nonnullis scilicet ditioribus hujus urbis civibus, quorum munifi-

centia tria fere florenorum millia in bibliothecae usum contulit. Gratias vobis ago sincerrimas, nobilissimi viri! si qui inter auditores meos adestis. Nomina vestra mihi incognita sunt, nec ea memoriae tradere possum, sed fructus eorum, quae fecistis, a studiosa juventute percipientur, quamdiu litterae in patria nostra florebunt. Nihil aliud quaesivistis; hoc decus vestrum, haec vestra laus sit apud posteros!

Annus in nostro amplissimo senatu, academiae Curatores atque Professores! sine clade fuit. Nullum lugemus. Senibus etiam dira mors pepercit. Unus HARTINGIUS noster, quem omnes observamus et diligimus, iniqua valetudine conflictatur, nec tamen, est Deo gratia! periculose aegrotat. Speramus fore, ut optimus ille vir, summa assiduitate, maxima doctrinae copia conspicuus, cujus tota vita in rebus honestis perspecta est, brevi in sanitatem restituatur, suisque disciplinis ornamento sit atque praesidio.

Tibi inprimis gratulamur, Clarissime SUERMAN! venerabilis professorii ordinis Nestor, cui, licet morti vicinus fueris, restitutam esse sanitatem omnes gaudemus. Studiorum causae, aegrotantibus, patriae servatus es. Diu adhuc nobis superstes esto consilium atque ratio, auctoritas et sententia, quibus per tantam annorum seriem nobis profuisti, tuaque senectute, quae a rebus gerendis te non abstrahit, senatus noster illustrari pergat.

Te quoque, Clarissime SCHRÖDER VAN DER KOLK! op-

timis ominibus prosequimur, qui quintum muneris tui lustrum ante has aliquot dierum hebdomades celebrasti. Meum non est enarrare, quid tibi debeant studiosi juvenes, quibus magnam doctrinae tuae copiam effundis, quid anatomia, physiologia, psychiatria, quibus tum usu tum ratione ita profuisti, ut nova mente captorum cura atque conditio a te originem ducat, tu autem ipse principem non tantum in patria nostra locum occupes sed apud exteros quoque omni laude floreas. Maneant tibi eaedem vires, idem ingenii vigor, eadem animi pietas, qua humano generi consulere numquam non studuisti, tuoque exemplo juniores alii impellantur, ut ex tuis ipsius votis, tua vestigia prementes, disciplinarum tuarum fines magis magisque proferant.

Tu etiam, Clarissime VISSCHER! eodem fere tempore reminiscendo festum illum diem recognosti, quo ante hos viginti et quinque annos patriae litteras et historiam publica auctoritate tradere coepisti. Laeta tibi fuit haec recordatio; quid enim, ubi praeteriti temporis spatium respicimus, majori gaudio nos afficiat, quam ante partorum bonorum memoria atque copia, industriae, laboris, impigritatis conscientia? Et tu quidem erudiendo ac docendo juventutem numquam fuisti contentus; extra scholarum fines etiam tum voce tum scriptis illud semper egisti, ut antiqua suae gentis monumenta evolverent populares nostri, et, ut nostrae actatis rationi servire possent, quid a majoribus factum sit memoriae mandarent. Diu tibi concessum sit, haec tua instituta tenere, et in iis

elaborare disciplinis, quas omnes procul dubio, quibus patriae salus cordi est, maximi faciunt.

Utinam vobis quoque Academiae cives! laeta tantum accidissent. Sed eheu! vestro ordini plures socii a morte, quae nec juvenili parcit aetati, erepti sunt. Supremum obierunt diem

GUILIELMUS MOLEMANS,

ADOLPHUS THEODORUS DYON BARENDS,

ARENTIUS JANUS BÖSKEN, et

ARENTIUS CORNELIUS HUGO BOEZER.

At quid eorum nomina in memoriam vobis revoco, quae pia mente colitis? Ingenii dotes animique virtutem diram mortem non arcere, experti estis. A parentum amantissimo pectore divulsos vidistis filios, in quibus vitae et senectutis omnem reposuerant spem ac felicitatem. Ne umquam talium exemplorum obliviscamini. Hilaritatem aetas vestra amat et exposcit, nec, si intemperantem senem excipiam, morosis juvenibus tristius cogitari potest spectaculum; verum in media laetitia finem ante oculos habete;

Omnes enim una manet nox,
Et calcanda semel via leti.
Mixta senum ac juvenum densantur funera; nullum
Saeva caput Proserpina fugit.

Ad vos me converto, amplissimi Curatores! ut referam de civibus nostris, quorum causa ipsa haec academia vivit et floret, in quorum honestate ipse academiae honos nititur. Praeter tristia, de quibus dixi, caetera

laeta omnia atque fausta. Non molestam, sed jucundam regendi provinciam mihi reddiderunt. Viderunt hujus urbis incolae, vel in festissimis praeteriti anni diebus, in tanta juvenum frequentia, ita omnia esse peracta, ut vituperio nullus superfuerit locus, contra eorum urbanitas et elegantia omnium laude digna sit habita. Non possum, quin, sollemnem illam dierum hebdomadem, cui omnes interfuimus, memoria repetens, de illustri hac juvenum corona optima quaeque sperem. Hoc enim audiatis velim, cives academici! me, quadragesimum et tertium, quod celebrastis, lustrum recordantem, non tantum dispositionem laudare, qua omnia venuste et eleganter digesta fuerunt, sed etiam, ut cum praesentibus futura copulem, omen accipere. Quid enim? Qui in res festas et jocosas omni virium intentione incubuistis, eundem sane in gravioribus animi ardorem ostendetis, ne umquam, in ludis serii, in seriis ludere videamini. Ingenui, faceti, remisso homine digni fuerunt ludi vestri, sed memores etiam eritis, non ita a natura nos generatos esse, ut ad ludum et jocum facti simus, ad severitatem potius et ad quaedam studia graviora atque majora. Nec tabernarias dedistis nec planipedes nec Atellanas; praetextatas egistis, cogitationem et mentem ad illustrem patriae historiam revocantes. Muneri vestro et studiorum et vitae ratio congruat. Eorum suscepistis personam, qui primi hic CHRISTUM secuti sunt; ne vestitu tantummodo et ornatu Christiani sitis, sed mente imprimis ac moribus; *ὡς τεκνα φωτος περιπα-*

τειτε, δοκιμαζοντες τι ἐστιν εὐαρεστον τῳ Κυριῳ. Rhetoricorum, qui litterarum in Hollandia instaurationi servierunt, mores et opera penitus perspicere conati estis; ipsi, hac in re eorum exemplum secuti, litterarum laudem, qua majores nostri floruerunt, adaugete. Nobiles egistis viros, qui terra marique, in artibus et doctrinis, immortali gloria gentem nostram affecerunt; ipsi elaborate, ut, eorum nomine digni, patriae libertati, vigori, ornamento prospiciatis. Pendet a vobis civium salus; in ecclesia, in scholis, in summis reipublicae muneribus, vestrum aliquando erit, eorum commodis consulere. Incumbite igitur in disciplinas; scientia et virtute excellere studete; omnia vos excitant, movent omnia. Augustissimus ipse rex vos invitat, cui persuasum est, optime patriae consultum esse, si juvenes nostri in iis occupati sint studiis, quae ad omnem virtutem, ad omnem humanitatem impellunt. Recitabo quaestiones, quas ex ipsius munificentia et summa auctoritate proposuimus. — Ecce qui denuo vobis patet campum; ad victoriam contendite!

Hoc unum superest, Clarissime FRANCISCE CORNELI DONDERS! ut tibi, a rege successori mihi designato, academiae fasces tradam. Accedas ad sedem tibi destinatam. Salve magnifice rector! iterumque salve! Lubens regendi munus tibi cedo. Cum fascibus omen accipias. Floreat te duce alma haec Musarum sedes. Hoc etiam anno Academiam Rheno-Trajectinam illustret sol justitiae!

# EDMUND BURKE.







